

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS CALISTI PAPAE DE IEIUNIO QUAT- 39r  
TUOR TEMPORUM PER ANNUM ET RELIQUIS CAUSIS.

Calixtus archiepiscopus ecclesiae catholicae urbis Romae Benedicto fratri et 1  
coepiscopo salutem in domino.

5 Fraternitatis amore constringimur et apostolico moderamine convenimur, ut 2  
consultis fratrum, prout dominus dederit, respondeamus eosque apostolicae sedis  
auctoritate instruamus.

Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per 3  
quattuor tempora fieri decernimus, ut, sicut annus per quattuor volvitur tempora,  
10 sic et nos quaternum sollemne agamus ieiunium per anni quattuor tempora. Et  
sicut replemur frumento, vino et oleo ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad  
alendas animas iuxta prophetae Zachariae vocem, qui ait: Factum est verbum  
domini ad me dicens: Haec dicit dominus exercituum: Sicut cogitavi, ut afflige- 3  
rem vos, cum ad iracundiam provocassent me patres vestri, et non sum misertus,  
15 sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Hierusalem et domui Iuda.  
Nolite timere, haec sunt verba, quae facietis: Loquimini veritatem unusquisque  
cum proximo suo, veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris, et un-  
usquisque malum contra amicum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, et iura-  
mentum mendax, ne diligatis. Omnia enim haec sunt, quae odivi, dicit dominus.  
20 Et factum est verbum domini exercituum ad me dicens: Haec dicit dominus ex-  
ercituum: Ieiunium quarti et ieiunium quinti et ieiunium septimi et ieiunium dec-  
imi erit domui Iudae in gaudium et in laetitiam et in sollemnitates praeclaras.  
Veritatem tantum et pacem diligite, dicit dominus exercituum.

In hoc ergo omnes nos unanimes oportet esse, ut secundum apostolicam doctri- 4  
nam idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Simus autem per-  
fecti in eodem sensu et in eadem scientia, in cuius operis devotione gratulamur  
dilectionem tuam esse consortem. Non decet enim a capite membra dissidere, sed  
iuxta sacrae scripturae testimonium omnia membra caput sequantur.

Nulli vero dubium est, quod apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, 5  
a cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut filius venit facere volun-  
tatem patris, sic et vos voluntatem vestrae impleatis matris, quae est ecclesia,  
30 cuius caput, ut praedictum est, Romana existit ecclesia. Quicquid ergo sine dis-  
cretionem iustitiae contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla  
permittit.

35 Criminationes vero contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet filios 6  
patres repraehendere, nec servos dominos lacerare. Filii ergo sunt doctorum  
omnes, quos instruunt, et sicut filii patres carnales, sic et hi patres debent diligere  
spiritaes. Non enim bene vivit, qui non recte credit, aut patres repraehendunt vel  
detrahunt suos. Doctores ergo, qui et patres vocantur, magis portandi quam  
40 repraehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint. Nullus ergo doctorem per  
scripta accuset nec sine fideli et legitimo, qui etiam irrepraehensibilem vitam ac  
conversationem ducat, accusatori respondeat, quia indignum est, ut doctor stulto  
et indocto atque repraehensibiliter viventi respondeat iuxta stultitiam suam di-  
cente scriptura: Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam.

5 apostolico] *corrected from apostolicae*    24 unanimes] *corrected from unianimes*    33 haberi]  
*corrected from habere*    35 Criminationes] *in margin: De accusatoribus*    40 doctorem] *corrected from*  
*doctor*    41 legitimo] *corrected from legitima*

- 7 | 39v Non bene vivit, qui non recte credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis fidelis est, videat, ne falsa loquatur aut cuiquam insidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, et infidelis callide insidiatur atque fideles et pie ac iuste viventes perdere nititur, quia similis similem sibi quaerit. Infidelis homo mortuus est in corpore vivente. Et contra sermones fidelis hominis vitam custodiunt adiutorium. 45 50
- 8 Doctorem enim catholicum et praecipue domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari ita nullo oportet machinatione aut cupiditate violari dicente quippe scriptura sancta: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut verae continentiae obtineatur integritas. Cuius prima est labes superbia, initium transgressionis et origo peccati, quoniam mens sponte avida nec abstinere novit nec pietati adhibere consensus. 55
- 9 Nullus bonorum inimicum habet nisi malum, qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur aut per ipsum bonus exerceatur. Quicquid ergo inreprehensibile est, catholica defendit ecclesia. Nulli imperatori vel cuiquam pietatem custodienti licet aliquid contra mandata divina praesumere. Iniustum ergo iudicium et definitio iniusta regio metu aut iussu aut cuiuscumque episcopi aut potentis a iudicibus ordinata vel actum non valeat. Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere vel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere bene loquendo studuerit. Melior est in malis factis humilis confessio quam in bonis superba gloriatio. Omnes vero, qui amant vitam beatam, malunt eam tranquillitatis suae et iustitiae statu currere quam nostrorum peccatorum poenis ultricibus interpolari. 60 65
- 10 Memor enim sum me sub illius nomine ecclesiae praesidere, cui a domino Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes semper destruit errores. Et intellego aliter mihi non licere quam omnes conatus meos ei causae, in qua universalis ecclesiae salus infestatur, impendam. Spero autem affuturam misericordiam dei, quod cooperante eius clementia omnis pestifer morbus ipso pellente auferatur, et quicquid ipso inspirante atque auxiliante poterit salubriter, cum tuae fidei et devotionis laude peragat, quoniam res omnes aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divini muneris famulatum pertinent, sacerdotalis defendat auctoritas. 70 75
- 11 Data XI Kl. Decembris Antonio et Alexandro cc. cons.